

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XLIII. Quidquid tibi displicet in deo vincas.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

CAPUT XLIII.

QUIDQUID TIBI DISPLICET IN DEO VINCAS.

VIDIT aliquando cujusdam hominis gestum in quo scandalizata est. Et statim agnoscens culpam suam, Deo confitebatur. Ad quam Dominus: « Cum videris aliquem gestum qui te scandalizat, laudare me debes in nobilitate et reverentia divini mei gestus. Cum ergo videris aliquem superbire, lauda me in fundo humilitatis meæ, qua cum essem Dominus omnium, omnibus me subjeci. Cum autem aliquem videris irascentem, lauda me in mansuetudine qua tamquam agnus steti coram judice. Cum videris impatientem, lauda me in patientia quam habui ad omnia sufferenda. Sicque omnia quæ tibi displicent potes vincere in me, in quo tibi cuncta summe complacebunt. »

CAPUT XLIV.

QUOMODO DEUM IN QUINQUE SENSIBUS TUIS QUÆRAS.

ALIA vice dixit ad eam Dominus: Quære me in quinque sensibus tuis, faciendo more hospitis, qui amici sibi valde dilecti adventum præ foribus et per fenestras respiciendo, si uspiam desideratum suum videt semper quærit. Sic et anima fidelis in quinque sensibus, qui fenestræ ejus sunt, me semper quærat, ut si viderit pulchra et amabilia, cogitet quam pulcher et amabilis, et quam bonus est qui hæc